



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Hospitalis rector officium recitare, tenetur, quando Hospitale est beneficium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

3. *Monachus iuridicè expulsus, vel translatus ad parochialem, habitu clericali vti potest.*
4. *Præcedentia Prouincialium inter religiosos, ex antiquitate prouinciarum attenditur.*
5. *Canonicus Regularis, sicut & Monachus, patrinus esse nequit.*
6. *Monialium monasteria ex causa superiores intrare, & licentiam ingrediendi dare possunt.*
7. *Monachatos non est dignitas, nec aliquid honorificum.*
8. *Monachus de iure communi, ex vno loco in alium inuitus mutari non potest.*
9. *Canonici regulares beneficia curata habere possunt.*

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 9. de success. ab intestato.

1. *C*um eadem ratio sit recedentis ante professionem, & morientis, ante professionem emissam; consequenter Concil. Triden. sess. 25. cap. 16. de reg. statuens, ut abeuntibus ante professionem, omnia quæ sua erant, restituantur, etiam de religiosis ante professionem morientibus, id ipsum statuisse censetur, cum antea professionem emissam res nouitiorum monasterij bona non fiant.

DECISIO II.

Ex confil. 2. deest in Nouis.

2. *A*bbas semel benedictus, licet ad aliam Abbatiam promotus, sit, iterum tamen benedici non debet; sed vel priorem benedictionem literis, & testibus probare, vel iterum sub conditione benedictionem accipere, tenetur: Arg. c. 2. de baptismo. vt scilicet in foro exteriori fidem suæ benedictionis facere possit.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 79. de Regular.

3. *R*egularis iuridicè a Monasterio expulsus, vel ad Parochialem ecclesiam ritè translatus, cura conscientia in habitu clericali seculari extra monasteriū sub obedientia Episcopi manere potest, & debet; quia in vtroque casu a religione absoluitur, & in neutro ad Monasterium & claustrum redire tenetur. Glos. in clem. 1. §. ad hæc, de statu monac. & cap. si quis translatus. 2. 1. q. 1.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 10. de maior. & obedien.

4. *I*n capitulis faciendis in Ordinibus Minimorum honorari locus Prouinciali Aquitanæ, quam Lugdunensi assignari debet: cum prouincia illa, priusquam Lugdunensis erecta sit, & præcedentia prouincialium, ex antiquitate institutionis Prouinciarum, & non ex antiquitate erectionis monasteriorum attendenda est: prior autem tempore, etiam iure potior esse debet. cap. qui prior, de reg. iur. in 6. & c. 1. de maior. & obed.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 10.

5. *C*um leges fundatæ in religione, disponentes de Monachis, etiam in Canonicis Regularibus locum habeant, nisi earum verba illos expresse excludant, ex Pan. in c. 2. de postul. consequenter Canonicus regularis, sicut & monachus, patrinus esse nequit, cap. non liceat, de consecr. dist. 4.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. alias 9.

6. *E*piscopi, & alij Prælati quamuis sine iusta & urgente causa monasteria Monialium sibi subiecta intrare non possunt, c. 1. de statu reg. in 6. & Conc. Trid. sess. 25. c. 5. de reg. Pius V. in Bulla, quæ incipit, circa Greg. XIII. in Bulla, vbi gratiæ visitationis tamen aut alia iusta, & urgente ex causa, pro quanta alijs ad ea intranda dare possunt, ipsi et ea, non petita ab alio superiore licetia, intrare valent, in Greg. XIII. cõf. 75. incip. dubijs, quæ emergunt.

DECISIO VII.

Ex confil. 1. in Nouis deest in antiq.

7. *C*um Monachus nec dignitas, nec honorificum officium sit, Feder. conf. 5. nu. 5. vnde etiam & Abbates Monachorum qui non sunt clerici, sed tantum laici, quolibet clerico in minoribus constituto inferiores sint honore, c. 2. subdiac. dist. 93. consequenter excommunicatus, infamis irregularis, vel alias ad beneficia ecclesiastica inhabilis, ad monachatum habilis censetur.

DECISIO VIII.

Ex conf. 4. in Nouis, deest in antiquis.

8. *M*onachus de iure communi, qui stabilitatem in vno Monasterio vult, ad aliud inuitus sine iusta causa moueri non potest, poteritque non solum Papa, sed etiam Generalis ordinis illi licentiam concedere, vt reueto habitu extra claustrum maneat, vt matris necessitati superuenienti subueniat, & S. Th. 2. 2. q. 101. art. 4. vt ait Nau. in Man. c. 14. nu. 14. Nam si necessitas professionem præcedat non potest iuste in claustrum manere, sed exire tenetur, vt subueniat.

DECISIO IX.

Ex conf. 12. in Nouis deest in antiquis.

9. *C*anonici Regulares Congregationis Lateranensis ordinis S. Augustini, & beneficia curata suscipere, & curam animarum extra ordinem suum cum licentia Generalis, abique vlla Papæ dispensatione exercere possunt, cap. quod Dei timorem, de statu monach.

TITVLVS XXXI.

De Religiosis domibus.

S V M M A R I V M.

1. *Hospitalis rector officium recitare, tenetur, quando Hospitalis est beneficium.*
2. *Congregatio Concilij Tridentini statueri nequit, an hospitalis ab episcopo visitari possit.*
3. *Hospitalis de bonis laici erectum, in quo non adest altare, vel capella, auctoritate episcopi erectum non præsumitur.*

DECISIO I.

Ex conf. 1. in vtrisque.

1. *H*ospitalium cum duplex sit genus, alterum quod datur in titulum beneficij; & alterum, quod solum datur in administrationem; clem. 1. & gl. de præb. & cle. quia contingit. §. vt autem de relig. dom. Rector Hospitalis ad horas canonicas dicendas, & habitum clericalem gestandum tenetur, quando Hospitalis est beneficium. Arg. c. 2. de celebr. Miss. Iudicatur autem beneficium, vel quando in fundatione ipsius statutum fuit ab ordinario, vel a Papa quod esset beneficium, vel quando per electionem, & confirmationem superioris dari solet, d. §. vtracum, vel etiam quando per quadraginta annos a solis clericis vt beneficium fuit possessum. Arg. c. cum de beneficio, de præb. in 6. & cap. de quarta de præscrip. Hospitalis enim quod tam laicis, quam clericis commendari solet, beneficium ceteri non debet.

DECISIO II.

Ex conf. 2. in Nouis, deest in antiquis.

2. *C*ongregatio Concilij Trid. cum non habeat potestatem ad contentiones facti definiendas, sed tantum ad decidendas quæstiones iuris, quæ super intellectu Concilij emergunt; consequenter cognoscere nequit de validitate sententiæ contra episcopum datæ in Hospitalis, aut domus aliqua religiosa ab episcopo visitari possit, cum sententia semel data in rem iudicatam transeat.

DE.